



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Martini Lvtheri Piae Ac Doctae Operationes In Dvas Psalmorvm Decades

Luther, Martin

Basileae

VD16 L 5540

Beatvs Vir Qvi non abijt in consilio impiorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37005

OPERATIONES

F. MARTINI LUTHERI IN PSALMOS
VVITTENBERGENSIB. THEOLOGIAE
STVDIOSIS PRONVNCIATAE.

BEATVS VIR QVI

non abiit in consilio impiorum.



OMMVNIS mortalium de beatitudine quaestio est: neque ullus est, qui non optet esse bene sibi, odiatque male esse sibi: attamen omnes, quotquot sunt, aberrauerunt a uera beatitudinis notitia: atque ij magis, qui maxime eam inquisierunt, ut Philosophi, quorum nobiliores in uirtute aut opere uirtutis ipsam collocauerunt: quo ceteris facti infeliciores, se & huius & futurae uitae bonis pariter priuarunt: uulgus & si crasse delirabat in uoluptatibus carnis beatum esse cupiens, saltem huius uitae bonis positum est. Hic autem de coelo

*Vulgus como
dius de beata
uita, q̄ Philo
sophi, sensit.*

sonans, omnium studia detestatus, unicam beatitudinis omnibus ignota affert definitionem: Beatum esse, qui legem dei diligit: Breuis diffinitio, sed quae contra omnium hominum sensum, praesertim sapientium, sapiat. Sed primo grammatica uideamus, uerum ea Theologica.

Hebraeus numero plurali dicitur *אשר* Aschre. Beati uel beatae: ut beata uiri, qui non abiit, ac si dicat, oia bene habet uiro illi, qui &c. Quid disputatis? quid uana concluditis? illud unicum margaritum si quis uir inuenit, ut legem dei diligit, & ab impijs separatus fuerit, huius omnia sunt optima, quo non inuenito, quaerit omnia bona, nec unum inueniet. Ut enim mundis omnia munda, ita diligentibus omnia dilecta, bonis omnia bona, & in uniuersum, qualis tu es, talis & deus ipse tibi, nedum creatura: Si quidem deus, electo electus est, peruerso peruersus, sanctus sancto: Ita nihil bonum ei, qui malus est, nihil iucundum, cui lex domini iucunda est.

Beatus.

Vir in scripturis tripliciter dicitur: aetatem, sexum, uirtutemque significat. Aetatis nomen est, j. ad Corin. xiiij. Cum factus sum uir, euacuaui quae erant paruuli. Sexus, Matth. j. Jacob genuit Ioseph uirum Mariae. Ioan. iij. Vade uoca uirum tuum. Virtutis, j. Reg. xvi. Ait Dauid ad Abner, Numquid non uir tu es? Atque hoc tertio modo, hic beatus uir dicitur, ne muliebrem sexum ab hac beatitudine excludat.

Vir in scripturis.

Abiit, aptius Hebraice, *לֹא אָלַח* Loalach, non ambulauit, non ingressus est, non incessit: quod & graecum *δὴν ἐπαρῆσθαι* habet. Notum autem est, more scripturae, ambulare & ingredi methaphoricos id esse quod uiuere seu conuersari, ut psal. xiiij. Qui ingressus sine macula. Et, c. Ambulans in uia immaculata, hic mihi ministrabat. Ro. viij. Nihil damnationis ihs, qui non secundum carnem ambulat.

Consilium hic sine dubio pro decretis & doctrinis accipitur: cum nulla stet hominum conuersatio, nisi certis Decretis & Legibus formetur serueturque. Taxat autem eo uerbo, impiorum superbiam, & perditam temeritatem. Primum, quod non in lege domini dignentur ambulare, sed proprio se regunt consilio.

In consilio.

A Deinde

MAR. LVTHERI OPERATIO

Deinde consilium appellat, quod prudentiam sonat, & uiam, quæ eroribus
nesciat. Nam hæc est perditio impiorum, quod in oculis suis prudentes sunt,
& apud semetipsos: quod errores suos specie uestiunt prudentiæ & uiræ. Si enim
manifesto errore tentarēt homines, nō magna beatitudinis laus erat, non am-
bulare cum eis. Non enim dicit, in stulticia impiorum, in errore peccatorum.
Monet ergo nos q̄ diligentissime, ut a specie bona caueamus, ne angelus Sa-
tanæ transfiguratus in angelum lucis, seducat nos astutia sua. Opponit autem
consilium impiorum, legi domini, ut discamus attēdere a lupis in uestimentis
ouium, qui prompti sunt omnibus consulere, omnes docere, omnes iurare,
cum nihil minus possint.

Impius. Impius, qui hebraice *Wrascha* dicitur, rectissime apud S. Hilariū is dicitur,
qui male de deo sentit. Impietas enim proprie uitium incredulitatis est, & corde
perpetrat. Sed uarie & inconstanter est translaturum. Tu ergo hæc duo semper
contraria habeto, fidem dei & impietatem: sicut legem dei, & consilium ho-
minum. Nam quando de pietate & impietate agimus, non de moribus, sed de
opinionibus agimus, hoc est, de fontibus morum: Qui enim orthodoxus in
deum est, non potest nisi bona facere, bonos mores præstare. Quod si etiam se-
pties in die cadit iustus, toties tamen resurgit. At impij corruunt in malum, &
non resurgunt: hi quia increduli sunt, nullum opus bonum faciunt, totum ad-
tem quod agunt, pulchra species est, umbra illa Behemoth, qua & se decipi-
ant & simplices alliciant. Igitur pius est, qui ex fide uiuit, Impius qui in in-
credulitate uiuit.

Peccator. Peccatorem autem iam uidere licet. Hic est exterior homo impij: nam con-
silium & impiū in corde absconditum, non uideas. Itaq; de operibus, moribus,
studijs, quæ extra fiunt, loquitur, & hanc uiam uocat, quod iam consilium in
usum, & (ut dicunt) in praxim uenerit, & quod intus male sentiunt, foris
operetur: uerū hæc uia, ut dixi, fere speciosior est semp, q̄ priorū uia. Nā
illos peccatores, quisq; sine hoc monitorio facile cauet, aut saltem cognoscit.

Stare. Stetit, pertinaciam signat, duramq; ceruicem, qua erecti, excusant se uerbis
maliciæ, facti incorrigibiles, in impietate sua, q̄ pietatem eam existimēt. Stare
enim tropo sacrorum, firmū esse significat, Ro. xv. Domino suo stat aut cadit,
stabit autem, potēs est deus statuere illum. Inde colūna a stādo heb. dicitur, sicut
latinis statua. Hæc enim impiorū est excusatio & obfirmatio, q̄ sibi recte
uiuere uideantur & speciosis operibus fulgere præ cæteris.

sedere. Cathedra, Sedere in cathedra, est docere, magistrū ac doctorē esse. Max. xxiij.
Super Cathedram Moſi sederunt scribæ &c. Sic sedere in throno, regnare uel
regem esse, ut in libris Regum frequēs est, Sedere in solio, principem esse, Se-
dere in tribunali, iudicem esse.

Pestilentia. Pestilentia, & si non est ad uerbū translatio, satis bona energia redditū est:
illuſores. Nam heb. illuſorum, derisorum ue habetur. Sūt autem illuſores, quos per phar-
terium, dolosos, & linguam dolosam accusat, ut qui sub specie sanæ doctrine
uenenū erronei dogmatis propināt. Neq; enim pestilentia in corporibus tant
contagiosa, q̄ impietatis doctrina in mētibus. Sermo eorū, inq; Apostolus, q̄
Timo. ij. ut cancer serpit. Sicut autem sapientes uocātur, sanitas orbis terrarū.
(Sap. vj.) ita impij illi recte, pestilentia orbis terrarū. Quæ aut nocētior illis, q̄
animabus puram ueritatem esurientibus, uenenum mortiferum daret.

Vita bona. Igitur iuxta uulgatū per Ecclesiam usum, quo uita bona distinguitur in fi-
dem & mores, illa pios uel impios faciente: istis peccatores uel sanctos, etiam
hic describit

hic describit hos duos gradus, & eis addit tertium, quia quo proficeret impietas, non habuit, postquam hominem intus in opinionibus, & foris in moribus infecerat, ideo pruit, & alios secum trahit in eadem perditionem, non sibi cōtenta, quod impie sciret, & male uiueret, nisi & impietatem alios doceret. Hæc de grammatica.

In primis id in scripturis obseruandum, quod prudenter absteineat a nominibus se-
ctarum & personarum. Nam cum hoc psalmo sine dubio, Iudæorum populus taxetur primo, sicut ait Apostolus; Iudæo primū & Græco, & Ro. iij. Scimus quoniam quæcumque lex loquitur, his qui in lege sunt loquitur, non tamen dicit: Beatus Iudæus, aut beatus ille uel ille, nec in consilio gentium, horum uel horum, sed absolute, Beatus uir, & consilium impiorum, uia peccatorum, sessio illusorum &c. quicumque illi tadem sint. Quia non est acceptio personarum apud deum.

Abstineret
hominibus.

Et hoc fieri fuit summè necessarium, ut uerbum dei, cum sit æternum, omnibus omnium hominum seculis cōueniret. Nam & si uariet per tempora, mores, persona, loca, ritus, eadem tamen uel pietas uel impietas transit per omnia secula. Sic uidemus Prophetas, aduersus falsos Prophetas, Apostolos contra Pseudoapostolos, Doctores contra Hæreticos, eisdem scripturis usos, cum tamen nec Prophetarum, nec Apostolorum, nec Doctorum, aut suorum aduersariorum nomen, sed piorum & impiorum in illis inuenirent.

Deinde, ne si unius personatus nomen assumeretur, iam reliqui ad se non pertinere crederent quod malum dicitur, aut ad se solos pertinere, quod bonum dicitur, sicut Iudæi sibi in seculum quicquid boni semini Abrahamæ & Israel promissum est, contra quos certe hic psal. primo irruit, ut dixi. Quare & nos exemplo sanctorum patrum, psalmum ad eadem generationem, quæ nobiscum agit uitam, trahamus, immo sequamur potius, ut quæ nos præuenit, omnes impios arguens; & a nobis inueniatur hoc agere, magis quam cogatur.

Dicit ergo: Beatus uir, qui non abiit, id est, quando tot milia impiorum circum nos sunt, ut possis illud dicere, psal. xj. Saluum me fac deus, quoniam defecit sanctus, pauci facti sunt fideles in hominibus, Vt & Micheas, vij. Perijt sanctus de terra, & rectus in hominibus non est. Nonne beatus ille & uere uir, robustus in fide, qui cum tanta turba non ambulat per uiam spaciosam, deinde ab eisdem patitur opprobria & multa mala, nec sic tamen consentit, ut cum eis ambulet, & quod uel electos in errorem duceret, pulcherrimo consilio impiorum non fallitur. Multum est diuitijs, uoluptatibus, honoribus non uinci, sed summum uictoriae genus, sapientiam & iusticiam speciosissimam impiorum superasse, quibus pura fides, maxime omnium oppugnatur.

Summa uictoria.

Notabis autem hæc uerba psalmi, esse uerba fidei, ut quæ non loquuntur de hominibus sed de quod uidetur: Nam sic (ut dixi) nemo eos impios esse putaret, in spiritu loquitur Propheta, ubi hoc etiam impium est (quia fide uacuum) quod apud homines omnium piissimum. Sicut Eccle. viij. Vidi impios sepultos, qui etiam cum adhuc uiuerent, in loco sancto erant, & laudabantur in ciuitate, quasi iustorum operum, Et psal. xxxvj. Vidi impiū exaltatum, sicut cedrum libani, Terribilia sunt hæc, quis impietatem ibi & tam profunde quæreret?

Sed audi, psal. iste non tamen impios taxat & peccatores, nam omnis homo extra Christum, impius & peccator est, sed eos potissimum, qui duplici peccato peccant, ut qui cum impijs sint, non hoc agnoscunt, in super consilium parant, in quibus ambulent & impietatem colent. Nam non dixit, Beatus uir, qui non ambulat impius, aut non stat peccator, sed in consilio impiorum & uia peccatorum, ut quibus non satis est, quod impij sunt, etiam iusti & sancti esse uolunt, addentes impietati, speciem pietatis.

A ij Quos

Quos autem putas nostro seculo tangat? Ego non ausim personatus nescire, ne in quorundam sacerdotum, religiosorum, Episcoporum implacabilem charybdim impingam. Nam semper fuit hoc genus impiorum hominum impatientissimum uerbi dei, cœlumque repleuit martyribus, nō alia causa, quod se obsequium deo præstare arbitrarentur, & pro pietate certare sibi uisi sunt, ueros pios impietatis pertinacissime accusantes.

Scito tamen, & non dubites, hos tangi, qui solis ceremonijs, ritibus, alijsque pompis pietatis lucent, uestibus, cibis, locis ac temporibus, aut ad summam operibus & orationibus, pietatē metientes, præsertim illi, qui pro suis obseruationibus & orationibus, dignitatibus, potestatibus, iuribus, in implacabiles discordias se diuidunt, & quoduis facere ac pati prompti sunt, quæ mutua charitate in uitam cedere & humiliari: Hos esse impios istos, hoc argumento deprehendas, quod se curi fidentesque sunt in uita sua, Nec est timor dei ante oculos eorum. Nam hic est tibi Canō perpetuus & infallibilis, atque (quod aiunt) Lydio lapide certior, quod proprium est impiorum, deum non timere, secure de misericordia eius (sicuti putant) omnia præsumere. Piorum autem, cum Iob omnia opera sua uereri, in nulla sua iusticia confidere, & sanctitatem suam pro stercore ducere, seipsum nō posse pro ea certare, se iustificare, aut uindicare, sed digitos esse se omnino odio & uindicta. Itaque dixi, Fidei oculis & auribus opus est, ut hæc uerba scriptus audias, & eorum rem uideas, Homo enim non potest ea intelligere.

Non autem existimes me Cerimonias aut opera damnare, sed opiniores, fiduciam, studium illorum, pestes uoco, quod his fieri uideamus, ut in sceleribus, detractionibus, & infinita monstra peccatorum ruant, quæ omnia tegunt nomine pietatis, uelo consilij sui, specie dogmatum suorum. Si enim in humilitate fierent, bona certe essent.

Et in uia peccatorum non stetit.

Postquam enim impietate fidem uolauerint, quid restat, nisi ut opera eorum mala & peccata? Et quomodo, in quiete, sunt opera Iudeorum, hæreticorum, perborum mala, cum ieiuent, orent, benefaciant, & reliqua, quæ nullus hominum mala audet dicere, operetur? Dixi, quod fide opus sit, Eo peiora sunt illa opera, quod impietate confirmat & stare ac perseverare faciunt in uia istius peccati, peccata autem sunt, quia de impietate cordis procedunt. Amendatque iniquitas. Sapiens, quid uerum dicetur? & ab impio, quid pium fiet?

Christus tamen nos hic pulchre erudiuit, quando ex fructibus eorum cogno-
scendos docuit. Duplicia enim habent opera: Alia quæ uocant uestimenta oculi-
um, quæ non sunt eorum fructus proprii, sed simulata, iuxta consilia & uias sa-
as. Verum, ubi eos tetigeris & aduersatus fueris, en hic pronunt proprii eorum
fructus, ira, tumor, clamor, superbia, detractio, maledictio, execratio, inuidia,
blasphemia, & similia portenta, neque enim alios fructus, de his spinis, quæ spinas
has acutissimas colligas, tales uides & nostros ceremoniales iusticiarios.

Et in cathedra pestilentie non sedit.

Id enim deserto Christo faciunt Iudæi, Sub quorum labijs uenenum aspidum
insanabile, & fel draconum uinum eorum, necesse est enim, ut contra Christum doceat,
qui non Christum docet, Hos sequuntur hæretici, alio nomine quidem & persona,
sed eadem

IN PSALMVM PRIMVM.

sed eadem impietate pestilentes, & ad nostra ueniendo, Cathedram pestilentie possident, qui opinionibus Philosophorum, traditionibus hominum, consilijs capitum suorum replēt Ecclesiam Christi, opprimuntque miseras animas, omisso interim uerbo dei, quo solo pascitur, uiuit, seruatur anima. Quo fit, ut homines alia iusticiam ignorent, quae operibus paratur, haec autem est impietas & peccatum coram deo. Impossibile est enim, ut sine periculo, opera legum doceas quarūcūque, nisi meliore parte doctrinae & maiore studio prius fidem docueris in Christum, Paulus. xi. cap. ad Ro. fidem fundat, & quinque capitulis, deinde mores superaddidit. Ad Galathas quinque fidem, uno & sexto mores docet. Sic & in alijs quoque epistolis facit: Christus in Euangelio, non nisi fidem querit.

Opera legum sine fine non docenda.

Sed in lege domini uoluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.

Grammatica Theologica.

Legem domini (ut semel scias) uident ubique longissime latissimeque distingas, a legibus quorumlibet hominum, totaque cura obserues, ne in unum casus hos utraque confusa (ut fit per pestilentiae doctores) te miserrime perdant, dum uel ex lege faciunt traditionem hominum, aut ex traditione hominum legem dei. Exemplis id ostendemus, Lex domini est, Honora patrem & matrem. Ex hac lege Pharisei fecerunt hanc traditionem: Munus quod ad altare offertur, melius est quam quod parentibus datur, ut legis Matthaei, xv. Rursum sic deo in uero mandato contempto, alio mandato suo proprio eum honorant ex lege sua, legem dei statuentes. Lauari manus cum manducas, seniores tradiderunt: At seniores non audire, id ipsum est, ac deum non audire. Itaque dicit ibidem, Hypocrite bene prophetauit de uobis Isaias: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est a me, sine causa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum. Sic hodie inualuit ut uocem Pontificum & Romanae curiae, solum audiendam cum tremore, audacter pronuncient, interim omnibus dei mandatis, etiam irritis, nedum contemptis, nec ab illis hominum magis quam ab illis ipsis Curiae uocem tremendam iactantibus, denique perduxerunt has impiissimas superstitiones in eas angustias, ut reperiantur passim sacrificuli, qui peccatum mortale arbitrentur, si sine stola, sine manipulo, aut alia obseruatione omittant sacrificium. Quod si in Canone missae lapsi sint, uel inuiti, summum piaculum est, Sed pudet me recensere, & alia sacerdotum & religionis forum ridicula conscientiarum terculamenta, Cum interim si libidine, ira, inuidia, auaricia, superbia, multorum annorum tempore perierint, ac deum contempserint, ne sentiant quidem.

Contra statuta humana.

Voluntatem, primum hic neque pro potentia, neque pro stertere illo habitu, quem recentiores Theologi ex Aristotele inuenerunt, ad subuertendam intelligentiam scripturae. Item neque pro actu, quam ex ea potentia & habitu elici dicunt. Non habet uniuersa natura humana hanc uoluntatem, sed de caelo ueniat, necesse est. Cum enim humana natura sit intenta & prona ad malum, ut diuina dicit autoritas, Genesis. viij. Lex uero domini sit bona, sancta, iusta; Sequitur quod uoluntas hominum sit aduersaria legi, odiat legem, fugiat legem. Quod si quandoque timore poenae, aut concupiscentia promissi, simulet se diligere legem, manet tamen intus semper odium legis, nec potest eam gratuito diligere, non enim diligit, quia bona est lex, sed quia sibi commoda.

A iij quod

Est autem uoluntas hæc, purum illud beneplacitum cordis, ac uoluptas quædam in lege, quæ non querit quid lex permittat, nec quid minetur, sed solum id quod lex sancta, iusta, bona est. Est ergo non modo amor legis, sed etiã amans delectatio in lege, quã nullis prosperitatibus, nullisq; aduersitatibus possit mutari & princeps eius tollere ac uincere, sed per inopiã, infamiã, crucẽ, mortem, infernũ, uictrix perumpit, in aduersitatibus enim maxime eminet.

*Voluntas serui
lis, Mercena
ria gratuita.*

Venit autem hæc uoluntas ex fide in deum, per Iesum Christum, ceterum uoluntas, quæ motu pœnarum extorquetur, seruilis est & uiolenta, quæ autem cupiditate præmiorum allicitur, mercenaria est & simulata. Illa autem liberalis, gratuita, hilaris, unde Christi populus, נדבתי Nedaboth hebraice, spontanei, uoluntarij, liberales uocantur. Ex quibus omnibus liquet, qd hic plalmus nisi de solo Christo intelligatur, speculum & meta est, ad quam nitendum se beato uiro, cum nullus sit in hac uita, cui non aliquid huius uoluntatis dedit, propter legem & uoluntatem membrorum contrariam illi, ut Apostolus Rom. vij. queritur, quæ iuxta Theologiam crucifigenda est, iuxta Philosophiam uero pro uirtute habenda.

*Meditari in
lege domini
docetur hoc
loco.*

Non occides.

Meditari dicunt id esse quod disserere, disputare, & omnino uerbis exercere, ut psal. xxxvj. Os iusti meditabitur sapientiã. Hinc b. Aug. in sua translatione habet, Garrere, pulchra sane metaphora, qd ut garritus auis est exercitium, ita hominis (cuius est proprium officium sermocinari) exercitium sit sermocinatio in lege dñi, sed & poeta meditari hoc modo accipit: Syluestrem tenui medicorũ arundine musam. Nõ possum satis digne huius uerbi uim & gratiam commendare, cõsistit enim hæc meditatio primũ in obseruatione intẽta uerborum legis, deinde in collatione mutua diuersarum scripturarum, quæ est quantum iucunda uenatio, immo lusus ceruorum in saltu, Vbi dominus præparauit uos, & reuelari condensa. Ex his enim præcedet tandem eruditio in lege domini, ad populũ sermo. Exempli gratia: Non occides, si perfunctorie tractet, frigidum uerbum est, & iuxta literarum sonum opus homicidij prohibere audies. At siste & obserua, quia non dicit: Non occidat manus tua, sed noli. Quid autem es tu? Anima & corpus, habes tot uires in utroq; manum, linguam, oculos, mentem, uoluntatem, Quãdo ergo tu occidere prohiberis, nonne iam neq; manu, neq; lingua, neq; uoluntate occidere doceris? quicqd enim horum occiderit, tu occidis. Non ergo irascendum, nõ male uolendum, nõ maledicendum, non detrahendum, non facie auertendum, nõ contemnendum, non noceri optandum, sed contra, amandum, benedicendum, beneficiendum. Quid ergo? nempe, Non occidas, erit id quod non sis amarus & iracundus, sed dulcis ac humanus pximo tuo. Tum uide, quot loca scripturæ de charitate, mititate, suauiate, beneuolentiã, bonitate, benignitate, doceant, quæ si adduxeris, nõne pulchre garristi, & meditatus es in lege dñi tuis?

Voluntas in lege domini.

Die & nocte, siue ad literam accipias, siue tropo quodam pro assidue, aut al legorice, pro tempore aduersitatis & prosperitatis nihil refert. Nã & dormiens iustus, legem domini amat & cogitat.

Dicit ergo, Beato huic uiro erit uoluntas sua in lege domini, proflus nihil uidebit, amabit, odiet, bonorum, malorum uie, sed hac uoluntate proflus sua per omnia creata eleuabitur. Quid igitur mirum, si beatus sit, qui cœlesti hac uoluntate præditus, nihil eorum sapit, in quibus colliduntur stulti beatitudinis æstimatores? tum quia per hanc uoluntatem, iam unum cum uerbo dei factus (siquidẽ amor unit amantem & amatum) necesse est, ut gustatq; bonum, suauem,

suave, purum, sanctum, mirabile sit uerbum dei, summum scilicet bonum, quod illi gustare non possunt, qui uel manu uel lingua, tantum sunt in lege, uoluntate autem in foridibus rerummersi. Sunt enim multi garruli de lege domini multa loquentes, multa simulantes, multa quoque cogitantes, sed nondum amantes. Non dicit: Beatus uir cuius lingua in lege domini, non cuius manus, non cuius mens aut speculatio, quibus inflantur & palpant seipsos, quasi iam sancti & salui sint.

Porro uita hæc, tota uoluntas est hominis. Non est enim metuendum, ne uoluntas ea sit tota uita pij. ullo alio membro extra legem sit, qui uoluntate hac, uita fonte, & capite in illa fuerit, quo enim amor fertur, huc sequuntur & cor & corpus. In quo iterum uide, contrariam piorum & impiorum conuersationem. Impij suam iusticiam incipiunt ab extra, & tēdunt ad intra. Primum, opus simulant, deinde & uerbum, postea & cogitationem exercent, & hoc eorum summum fastigium, tum mox aliorum magistri, quicquid cogitant, dicunt, faciunt, sanctum ac diuinum esse uolunt, cum ad hanc secretam uolūtatem nunquam peruenierint. Pij incipiunt ab intra, a sancta hac uoluntate, tum sequitur meditatio, tandem & opus extra, post hæc doctrina aliorum, ut uidebimus.

Et in lege eius meditabitur die ac nocte. Nō est sine damnatione meditatio, nisi prior sit uoluntas, amor ipse per se docebit meditari. Verum hæc uoluntas desperatis nobis de uiribus nostris per humilem in Christo fidē de celo (ut dixi) petenda est. Hoc bene nota: Mos est & natura oibus amantibus, de suis amoribus libenter garrere, cantare, fingere, componere, ludere, item libenter eadem audire. Ideoque & huic amatori beato uiro, suus amor, lex dñi semp in ore, semper in corde, semper (si potest) in aure est, Qui eni ex deo est, uerba dei audit, Cantabiles mihi erant, inquit, iustificationes tuæ in loco peregrinationis meæ. Et iterum: Et meditabor in iustificationibus tuis semper.

At qui siliquas porcorum uersant, qui de rebus naturalibus, de opinionibus hominum, de præbendis, de dignitatibus, de potestate, ac prius legijs Ecclesiarum, & infinitis his nugis garrunt die ac nocte, putas beati sunt uiri? immo longe inferiores, quam qui de puellarum amoribus, aut Poetarum fabulis garrunt, hii enim sciunt se stulte agere, & aliquando poenitere possunt. Illi uero prudenter & sancte sese agere putantes, impietati suæ immoriuntur. Et tandem iura sua, summam sibi iniuriam & iniquitatem cumulasse, frustra poenitebunt. Non enim in lege domini meditantur.

Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.

Dixi, Beatitudinem huius uiri esse absconditam in spiritu, in deo, ita ut nisi fide aut experientia cognosci non possit. Hoc esse uerum liquide scies. Si uoluntatem eius aestimes, in qua sola sua beatitudo est, Non in diuitijs, non in honoribus, non in iusticijs ac uirtutibus suis, non denique in ullo bono, quod (excepta hac uoluntate legis) intus & extra hominem nominari possit, Quin potius in contrarijs, in paupertate, in contemptu, in stulticia, & omnibus malis, quæ intra & extra hominem nominari possunt, ita, ut quem hic Propheta beatum prædicat, hunc mundus omnium suffragijs, solum omnium miserimum iudicat, sicut in Christo horum beatorum capite & exemplari uidit Isaias, dicens eum nouissimum uirorum, Non enim potest mundus & princeps eius eum hominem

Voluntas ea sit tota uita pij.

Lex dei primum amanda, deinde meditata.

Notabile.

Amor legis dei beatificat.

Optimus uirorum nouissimus.

A iij tolerare,

tolerare, qui hac uoluntate beatus esse uolet, suasq; beatitudines despiciat, raritatem eorum contemplatus incepit: O beatur uir qui &c.

Nunc descripto beato uiro sua propria diffinitione, declarat eundem non minus pulchra similitudine, diffinitio certe absoluta erat, ab omni malo cum illis rens liberum, omni bono plenū (quod etiā uulgus beatitudinē uocat, sed in re presenti, ille aut in fide) ita & similitudo ab eodem malo liberum, & bono plenū probat, Quia enim beatus iste, in fide absconditus, demonstrari ad oculum, nullo exēplo potuit, sicut decet diffinitores facere, similitudine uisibilis re do pingit. Et quia figurate iustū describit, nō est in uocabulis immorādum.

Ego credo arborem palmā hic periphrasticos describi, Nam & alius p̄lati cit: Iustus sicut palma florebit, sicut cedrus libani, multiplicabitur, Ut quod si breuius, hic copiosius sit explicatū. Palma enim, riuos aquarū amat (ut P̄lati) toto anno bibere, perpetuo uiuet, & dulcissimos fructus parit. Forte ex palma quæ apud Hiericho ad Iordanem celebres sunt, hanc similitudinem assumpsit. Nam inde Hiericho urbs palmarum quoq; dici putatur. Multis enim & alijs locis scripturæ Iordanis in mysteria seruit, unde illud est, Puteus aquarum uentium, quæ fluunt impetu de libano.

Canonem hic tibi tradidit Propheta ad allegorias arborum & fluminum in scripturis occurrētium intelligendas, arbor hominem, bona bonum, mala malum significat, sic Christus quoq; docet, Quan̄q; scio san. Aug. cū a Pelagianis urgeretur, ne ex fidelū coniugio nasci prole inculpatā admitteret, per arborē uoluntatem hominis intelligi uelle, nō hominem. Et forte possit adiuuari hic spiritualis homo describitur, qui potissimum ipsa uoluntas, seu spiritus est. At puto nō minus & forte melius, totū hominem arborem dici, radicem esse uoluntatem, ramos membra & uires, Tamen nō contendo.

Plantatum est, inquit, in q̄ distinguit hanc palmā ab his quæ sp̄ōte nascuntur, ut quæ cura & cultu alieno, nō sua natura, talis sit, scilicet ex ea quæ sponte natura creuit excisa, & arte sicut surculus, alio plantata, hoc est q̄ dicitur, uoluntatem in lege dñi, nulli a natura inesse, sed agricolatē & plantatē patre cadit, & nos ex Adam in Christum transfērente, nobis e cœlo confēri.

Decursus aquarum, riuos certe gratiæ diuinæ intelligit, palma enim in se, fabulosa, nitrosa, falsaq; terra crescere dicitur, ideo perpetuo riuus gaudet, uoluntas hæc, radix huius arboris, cum sit in uita hac arida, infructuosa, eo magis sitit aquarū cœlestiū riuos, q̄ minus inuenit in mūdo, quo uegetetur. Sic illa in terra inuisa & in aquosa, Et Isā, liij. Ascendet corā eo, sicut radix de terra siccæ. Nōne mirum est, arborem in sterili terra crescere, solis riuus aquarum natiuitatē. Et beatus ille, quo sterilius sibi mūdus, eo sitiētior erit aquarū cœlestium. Non crescit in pinguedine terræ hæc arbor, nec beatus in luxu mundi.

Alij scrutati sunt, Cur lignum maluerit, q̄ arbor dicere, item dabit fructum, potius q̄ feret fructum. In Genesi legimus deum creasse lignū, non arborem, & hinc tropū seruat scriptura, lignum p̄ arbore. Et dare fructum indicat hunc beatum uirum, charitate (quam in omni lege domini uidemus præcipi) seruire non sibi, sed proximis. Non est enim arbor ulla, quæ sibi fructificet, sed dat fructus suos alteri, immo nulla creatura sibi uiuit aut seruit (præter hominem & diabolum) Sol non sibi lucet, aqua non sibi fluit &c. Ita omnis creatura seruat legem charitatis, & tota substantia eius est in lege domini, sed & humani corporis membra, nō sibi ipsis seruiunt, solus affectus animi impius est, hic enim non solum sua nemini dat, nemini seruit, nemini bene uult, sed omnium omnia

Palma arbor.

Nō est arbor, uoluntas & radix

Palma aqua, uoluntas indiget gratia.

Lignum pro arbore.

Sibi seruire impium.

Non solum sua nemini dat, nemini seruit, nemini bene uult, sed omnium omnia

IN PSALMUM PRIMVM

omnia sibi rapit, in omnibus, in deo ipso quærens quæ sua sunt, ut recte possis dicere, hanc esse arborē, spinā aut rhamnum spōte natam, nullius cultu foram, neq; riuus aquarum gauderem, nihil præter spinas affererem, quibus omnium quæ circumstant arborū, fructus, ipsas quoq; pungat, laceret, suffocet, tum oīum quæ prætereunt, uestes, uellera, cutem, carnem, & omnia, rapiat, uelliet, uulne ret. Expressit itaq; Propheta beneficium bonarum arborum, q̄ cum nulli nocent, omnibus profint, suos fructus uolenter dantes.

In tempore suo, O aureum & amabile uerbum, quo asseritur libertas iusticie *Libertas uiri beati.* Christianæ. Impij stati sunt dies, stata tēpora, certa opera, certa loca, quibus sic in hærēt, ut si proximus fame esset moriturus, nō ab illis diuelli possint. At beatus hic uir, liber in omne tempus, in omne opus, in omnē locum, in omnem personā, utcuq; sese obtulerit casus, tibi seruiet, quodcuq; inuenit manus eius, hoc faciet. Nō est Iudæus, neq; Gentilis, neq; Græcus, neq; Barbarus, nullius prorsus personæ: Sed dat fructum suum in tempore suo, quoties opus sit eius opera deo & hominibus, ideo neq; fructus eius habet nomen, neq; tēpus eius habet nomen, neq; ipse habet nomen, neq; riuus aquarum eius habent nomen, unus non uni, nec uno tempore, loco, opere, sed oibus ubiq; per omnia seruit. Estq; uere uir omnium horarum, omnium operum, omnium personarum, & imagine sui patris, omnia in omnibus & super omnia. Impij uero, sicut psal. xvij. dicitur, claudūtur in angustijs suis, seipsos captiuant, & in operibus, temporibus, locis a se electis, torquent, extra quæ nihil rectum geri putant, unde suorum fructuum æstimatores, nihil faciūt, q̄ ut alienos fructus mordeant, iudicent, damnēt, libertini & in quocunq; tempore prompti alios reprehendere, & omnino tales in malo faciendo, quales pij sunt in bono: Sunt enim & ipsi omnium horarū uiri, non uno modo, non uno tempore, non uni homini, sed utcuq; sors obtulerit, alijs detrahentes ac nocentes, Quæ studia, si uertent ad bona, nullo meliore compendio pij fierent.

Non sane hæc dico, q̄ cerimonias Ecclesiarum & monasteriorū reprobem, immo hæc fuit prima religiosorū institutio, ut qui monasteriū ingressus esset, maiori subiectus, disceret nihil propriè operari, sed prōptus omnibus in omnibus seruire. Erantq; monasteria uere quædam gymnasia Christianæ libertatis exercenda & perficiendæ, sicut adhuc sunt, sicubi priscam seruāt institutionem, hic inq; erat finis & modus cerimoniarum. Nam quid sunt ipsa quoq; charitatis & misericordie opera, q̄ liberæ quædam cerimonie, cum & ipsa sint externa & corporalia? Et ueteris legis cerimonie itidē erant, utilissimæ exercitationes ueræ & liberæ pietatis. At ubi coeperūt puerilitatis studio, in libertatis iniuriam usurpari, & earum prætextu uera pietas extingui, iamq; pro libertate seruitus tyrannifaret, opus erat, ut uniuersæ tollerentur, sicut & nunc quoq; pastorum pie sollicitudinis esset, tumultus cerimoniales abrogare, ubi nō nisi in laqueos animarum, & in offendicula liberæ pietatis grassantur.

Monasteria gymnasia Christiana libertatis.

Cerimonie nimia offendicula libera pietatis.

Et folium eius non defluet.

Persistat in figura pulcherrima, folium oīno uerbum & doctrinam significat, diximus autē palmam perpetuo folijs uirere. Cōtra de impijs dicit Isa. i. Quando fueritis uelut quercus defluētibus folijs. Confer iam singula cum singulis. Impij ambulāt i cōsilijs suis, Pius amore legis fixus, plātatus est ad riuos aquarum. Illi stāt in uia peccatorum, Hic meditatus in lege dñi, dat fructum in tempore suo, Illi in cathedra illisiorum sedēt, Huius foliū nunq; deficiet.

Collatio.

Et nota

*Fructus pro
cedit folium,
uirtus sermo
nem.*

Et nota, q̄ prius fructum q̄ folium describit, & quanq̄ palmæ natura est, pomum suum nō inter folia, sicut in cæteris fit, sed inter ramos, & comam ostendit, ut possit & ipsa uideri prius fructum q̄ folium producere (a palma enim diximus, hanc figuram sumptam) tamen & ipse sermo recte instituit fidelem in Ecclesia prædicatorem, ut sciat regnum dei non esse in sermone, sed in uirtute, j. Corint. iij. Et cœpit Iesus facere & docere. Erat uir potens in opere & sermone. Ita fructū uitæ prius præstet, qui uerbum doctrinæ proficitur, si non uelit folium suum desuere. Sicut enim arbor uita contemnitur, quæ folijs luxuriat, sine fructu, sed & Christus sicum maledicta fructum non ferebat, ita, docente D. Gregorio, cuius uita despiciuntur, & dolosa na contemnitur, alijs enim prædicant, & ipsi reprobi efficiuntur, quibus Mar. vij. prædicat audituros eos esse in iudicio: Discedit a me omnes operari iniquitatis, Etiam si in nomine eius prophetarint, & per uerbum Christi uirtutes multas in cæteris fecerint.

Quærat quispiam,

Tam multi fuerunt sancti & Martyres, quorū tantum fructus nec folia relicta sunt, sed omnia cum eis intercederunt, nec oīum Apostolorum uerba habemus, quomodo hæc laus beati uiri erit generalis?

Prædicare sibi.

Respondeo, Verbum eorum, non fuit uerbum eorum: Non enim uerba qui loquimini, sed spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis. Omnes sancti eodem uerbo docti sunt, idem uerbum docuerunt, Sicut, j. Corinth. x. Quos eandem escam manducauerunt, & eundem potum biberunt, Verbum autem domini manet in æternum, in seculum seculi ueritas eius. Potest itaque uerbum Beatus hic uir & lignum fructiferum, totam Ecclesiam significare, aut eorum docentium officio præfunt, uerum non obstat & de quocunq̄ iusto uerbo ligi, habet & ipse idem folium, si non alios, certe seipsum docet, in cœlesti tatus in lege domini, quod uerbum & in ipso manet in æternum, sicut in terra Ecclesia. Deniq̄ cum omnes fideles sint unum corpus, etiam si folia, solius sit membrum quod prædicat, per communionem tamen omnia facit unum, Verbum enim meum est, quod lingua mea prædicat, & si ego sum uerbum, non lingua, ita & de reliquis membris & toto corpore sentias,

Et omnia quæ faciet, prosperabuntur.

Facere & agere.

Si de ligno seu palma hæc dicit, illud tangit, q̄ sola palma dicitur abesse pondus sursum nitit, ut in trabibus palmaceis uisum esse dicunt.

Facere hoc loco (nisi sum nimio audax) non significat opera bona facta, nam hæc satis sunt nomine fructus commendata, sed facturas seu plasmas potius, quo modo opera artium facimus. Si quidem & Philosophi, agere prudentia, facere arti tribuunt, & eandem differētiā in Hebræa lingua cernere licet (mea temeritate) nā uerbum פועל asa pro facere, & עשה paal, pro agere dicuntur accipi uideo. Sicut psal. xxvij. Quoniam nō intellexerunt opera dñi, & opera manuum eius. Ut sit opus manuum dei, ipsum plasma, sicut dicit: Opus manuum mearum Israel, & Gen. j. Fecitq̄ deus &c. Et psalmo. xciij. Ipsus est mater & ipse fecit illud. Opera autem dei sunt, ea quæ per creaturas facit, maxime autem uerbum & gratia, quibus agit & agere nos facit.

Esto itaq̄ facere, instituere, ordinare, diuersis ministerijs Ecclesiæ ministrare, & ut Apostoli Petrus & Paulus docuerunt, multiformis gratia dei ministratores facere, Ecclesias fundare, multiplicare, ut sic ipsi fideles suscipiant opera

opera facta eorū: Sic enim Galatas parturit, & Corintheos genuit Apostolus: Opus meum, inquit, uos estis in domino. Intelligis ergo spiritualē esse hāc facturam beati uiri, non palatia, non imperia, non pompas: Hęc enim & gentes faciunt ac pariunt: sed multos bonos ac beatos, sibiq̄ similes reddere, hoc demum est facere huius beati uiri.

Prosperitas quoq̄ caue ne carnalis a te intelligatur: in abscondito hęc est, & penitus in spiritu, adeo ut nisi fide eam teneas, potius summā aduersitatem iudices: Nā diabolus sicut foliū & uerbū dei, extreme odit, Ita & eos qui ipsum docēt & audiūt, totius mundi adiutus uiribus persequitur. Miraculorum sum docēt & audiūt, quando prosperari audis omnia quę facit uir ergo omnium miraculum audis, quando prosperari audis omnia quę facit uir beatus. Quid enim mirabilius, q̄ q̄ fideles dum occiduntur crescūt, dū minuitur multiplicantur, dum subiiciuntur superant, dum expelluntur intrant, uincunt dum uincūtur. Sic enim mūdus est uictus & princeps eius, Sic mirificauit dominus sanctum suū: ut hoc sit summę prosperitatis, quod summę est infelicitatis: Hęc est prosperitas sapientium, & conuersio uirorum. At nunc illud Prouerb. i. uidemus impleri: Auersio paruulorū interficiet eos, & prosperitas stultorū perdet illos. Nūc enim, quia rebus Ecclesię personas & nomina fecimus, & spiritum in carnem traximus, ideo bonus status Ecclesię, nunc uocatur opulentia, tyrannis, impunitas, pax carnis, & pompa plusq̄ mundana. Vidit enim diabolus & intellexit tandem prosperitatem hęc spiritualem: ideo cohibuit se, & alia uia nos aggressus, horrenda infelicitate nostra triumphat. Et qui bello uincebatur, pace nūc regnat: mira certe utriusq̄ dei ordinatione. Scite ergo, & uerissime, S. Hilarius dixit, Ecclesię esse naturā ut aduersitatibus crescat, utiq̄ prosperitatibus decreseat. At hęc sapientia crucis, & noua rerum significatio, non modo incognita est: sed longe omnium quoq̄ horrendissima, ipsis etiā Ecclesię optimatibus. Nec mirū postq̄ desertis sacris literis, infelices hominum constitutiones & ratiocinaria pecuniarum cęperunt legere.

Miraculum miraculorū.

Ecclesia ad uersitate crescit, & prosperitate decrescit.

Non sic impij, non sic.

In heb. semel, Non sic, dicitur: sed hoc parum habet momenti. Et cū audis impios, recordare eorum, quę de impietate supra diximus, ne cum impijs, hoc uerbum releges, tantū ad Iudęos, Hęreticos, & nescio quos longe positos, ne forte & tu, dei timore posito, hoc uerbum dei nō reuerearis. Sed cū impius sit, qui sine fide Christi est, tremēdi sunt tibi hi sermones, ne & tu inueniaris impius. Verus enim pius, tremit ad omne uerbū dei, sicut Isaia ultimo dicit: Ad quem autem respiciam, nisi ad quietū & humilem & tremētē sermones meos? Quomodo confides te satis fidei habere? At quantum deest fidei, tantum adest impietatis, Impiorum est, ea quę bona sunt tota securitate sibi arrogare, & mala ad alios referre: Piorum est mala sibi intentata credere, & bona ad alios pertinere, nec nisi cū multa indignitate ad illa suspirare, ut nō per meritum, sed nudam spem misericordię dei eadem consequantur.

Pius tremit ad uerbū dei

Igitur impijs nihil prosperum, foliū arescens, nec plantati ad ritos aquarum. Item in spiritu loquentē, audi in spiritu. Impios em̄ florere & bene habere oīs scriptura clamat, & idē multis in psalmis uidebimus, ita ut de ipsis solis possis dicere: Foliū eorū uiret, oīa quę faciunt prosperantur, fide ergo opus est.

Sed tanq̄ puluis, quem proijcit uentus a facie terrę.

Additum est

Qui palea & puluis sint.

Additum est, a facie terræ sed sine periculo intelligentiæ. Sic nec illud quod hebr. פָּמֹרָז cāmōtz, sicut palea, puluis, aceris seu q̄squilix arboris. Idem est enim, siue puluis, siue acus, fauilla, palea dicitur: in eodem libro Lucæ. iij. Cuius ventilabrum in manu eius, & purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas uero comburet igne inextinguibili. Hoc purgamentum, has paleas, hos pulueres, hoc loco significari manifestum: quanquā uere & proprie acus & comminuta palea significetur. Et in xxj. eadem sententia: Erunt sicut paleæ ante faciem uenti, & sicut fauilla turbo dispergit.

Iudei propelluntur.

Obserua, non simpliciter paleas appellat, sed eas quas proicit uentus, eas que tranquillæ iacet, sed dispersas, uagas, inquietas paleas uile significat. Et de Iudæis primo intelligendus est. Hii tripliciter propelluntur. Primo, moraliter a turbinibus, id est, uolūtatibus, & indignatione hominū, inter quos habitant: ut ad oculum cernimus, nullas esse eis certas sedes, omnia momentis expositis uento huiusmodi propellenti. Secundo, quod uento doctrinæ uarietate confertur mēs eorū per pestilentes doctores, dū nō sunt plātati in Christi mente aut in certis doctrinis dispulsa, iam nec cōsciētia certa & quietior. Tertio, in nouissimo die turbinibus æternis intolerabilis iræ dei pelluntur, & quuntur Hæretici, præsertim postremis duobus turbinibus.

Propulsio in Ecclesia.

Et quid aliud arbitraris in Ecclesia esse, quā turbinem iræ dei? quo in uentis diuersas, tam inconstātes, tam incertas, easdemque infinitas glosas, iudicia & opiniones Theologorum propulsi sumus, & interim Christo peruenimus ignito, in multas syrtis, charybdes, symplegadas conscientiarum impingimur, miserime collisi sumus. Habent autem & ceteri impij suos turbines, & cellas cupiditatum, uoluptatumque, in diuicijs, honoribus, fauoribus, & ceteris cōtibus huius mūdi, quibus infelicissime concutiunt, quia unicam perniciōsā lidum cordis nostri firmamentum, contemnunt.

Ideo nō resurgēt impij in iudicio, neque peccatores in cōsilio saluabuntur.

Sat dictum, qui sint impij & peccatores: modo tu ne sine tremore horum sermones audias, quasi pius & sanctus sis. Timor ipse pietas est, iustitia & pietatis caput & principium.

Surgent, Hebræus habet, nō resurgent: Neque de resurrectione mortuorum loquitur. Nō enim dixit, Non resurgēt homines in iudicio, sed impij. Aliud est resurrectio hominū, alia impiorum. Proinde recte in symbolo, carnis magis resurrectio hominum resurrectio dicitur. Et Apostolus, mortuorum seu hominum resurrectioem uocat: euidenter duas resurrectiones hominis aduersus carnem & spiritus. Surgere autē hic significat, quod impij non stabunt coram deo: terra illud psal. v. Neque habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt in iudicio ante oculos tuos. Et psal. xxij. Quis ascendet in montem domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Sic de Christo quoque dicit: Dum exurgeret in iudicio deus. Et psal. xj. Nunc exurgam dicit dñs. Idem ergo est, Nō surgēt, quod nō stabunt, non seruient, non ministrabunt deo, sicut quæ maxime presumunt.

Iudicium, hic officium significat, tropo scripturæ. Sic totus liber Iudicij a iudicibus seu rectoribus uocatur. psal. cxxij. Quia illic sederūt sedes in iudicio, sedes super domū Dauid, ita de Christo psal. cix, Iudicabit in nationibus, id est, erit iudex.

erit iudex gentium. Et psal. lxxj. Iudicabit pauperes populi, id est reget eos. Et psal. xcvi. Iudicabit orbem terre in æquitate, & populos in ueritate sua.

Est itaq; sensus.

Impij nunq̄ eo ascēdent, ut sint iudices & rectores fidelium, sed neq; in cōsilio id est cōgregatione eorū, hoc est nec de primatibus, nec infimatibus iustorum erunt. Apertius ergo erat. Ideo nō surgent impij in iudicium, neq; peccatores in cōcilium iustorum, prorsus nō censentur inter seruos dei.

Sed quid? Nunquid impios rectores, & malos homines deturbabimus, & e medio nostro eiciemus? Aut nō est concilium fidelium, ubi præsunt impij, & intersunt peccatores? Absit.

Dixi in spiritu loqui Prophetam, ideo in spiritu audiendum, sicut enim Iudas erat Apostolus, & nō erat Apostolus. Et ut Ioan. dicit: Exierunt ex nobis, sed non erant ex nobis. Ita impij dū præsunt, ad hominē uisibiliter præsunt, reuera non præsunt. Nā & Zacharias, O pastor, inquit, & Idolū derelinquēs gregem, simul pastorē appellās, quo noie apud homines honorabā, simul Idolū quo reuera apud deum dānabā. Ita & Christus, ut intelligeremus præsidentiam nō esse rem ipsam fidelis, multos impios in hac uita remunerat, tam uili mercede, Tolerādi itaq; sunt utriq; sicut palea intra triticum usq; ad uētilatōnis diem.

Impij ad hominem præsunt, nō in spiritu.

Et uide ne id Propheta clare indicet, cum enim præsensisset: Non sic impij, non fuisset necesse repetere in alio uersu, sed suffecerat dicere: Ideo nō surgent in iudicio, neq; in cōsilio peccatorū, sed detraxit psonas & externā hominum faciem, quia homines diuites, potētes, & si qua alia facies est, possunt surgere in iudicium, & esse in cōsilio iustorum, cum hæc omnia ad corpus pertineant, sed impij & peccatores nunq̄. Igitur emphasis & epitas tota in uocabulis impij & peccatores uiget. Reuera & in spiritu nūq̄ præsunt, nunq̄ intersunt impij fidelibus, licet tanta specie uitæ fulgeant, ut nulli magis præsente & interesse fidelibus pterentur. Hanc enim laruam & hypocrisim, qua se inflant & præsunt, secumq; alios fallunt, persequitur hic psalmus, Deniq; hunc esse huius uersus sensum, sequens uersus declarat.

Quoniam nouit dominus uiam iustorum, & iter impiorum peribit.

Poterat interpretis omiſsa uarietate sua, dicere uia impiorum, cum sit eadem dictio, & satis pulchra erat Antithesis, uia iustorum, uia impiorum, seruata simplicitate uocabulī.

Tam speciosa (inquit) est uia impiorum, ut apud homines uideantur surgere in iudicium & cōcilium: Sed ille qui non fallitur, nouit uias eorum, & scit eos impios esse, & coram eo non sunt in ullo Ecclesiæ suæ numero: Nouit solos iustos, impios nō nouit, id est nō approbat. Proinde quod illi minime omnium credunt, uia eorum peribit, peribit, inq̄, quæ tanto successu crescit, ut aeterna ut deatur futura. Vide q̄ nos a specie prospera absterreat, & uarias tentationes & aduersitates nobis commendet. Nam hanc uiam iustorum, homines omnino reprobant, putantes & deum ignorare eam, quia sapientia crucis hæc est, ideo solus deus nouit uiam iustorum, adeo abscondita est etiam ipsis iustis, Dextera enim eorum ducit eos mirabiliter, ut sit uia, non sensus, non rationis, sed solius fidei, in caligine & inuisibilia uidentis.

Impios deus non nouit.

Quando ergo impijs pastoribus obedimus, non impijs, sed hominibus obedimus, non enim impietatem eorū audimus aut sequimur, sed humanam præsidentiam, tolleramus. Rursum, qui eos eiciunt & deturbant, ut in Boemia factum

Impijs obedire pastoribus.

cūm uidemus, Nunquid impios deturbant; nō, sed homines deturbant, etiam deturbati impij, impij manent. Tunc autē impius deturbatur, quia impietate ad pietatem ducitur quod nō fit in furore, externe uolento, sed in pietate interne orante, forisq; monente, si deus cooperatus fuerit.

Cui hęc intelligētia nō placet, maneat in illā, q̄ impios primum ludam expellat: Nam hos & multis alijs locis expellendos ab Ecclesia pradiat. Sed heretici & quicunq; palam suam profitentur impietatem, tum ipsi seipso Ecclesia alienāt, tum Ecclesia quoq; eos alienat & excōmunicat, quāntum se solos Ecclesiam esse & populum dei iactitent.

*Accōmodādi
sunt affectus
psalmis.*

In sine, hoc monendum, quod illustrissimi patres, præsertim Anastasius Augustinus tradiderunt, hoc est, ut affectibus psalmodum, affectus nō tam commodemus & attemperemus. Cū enim Psalteriū sit, non nisi affectus in dā palæstra & exercitium, sine spiritu psallit, qui nō spiritu psallit, ut uis legis, Beatus uir qui nō abiit in cōsilio impiorū, oportet simul affectus in detestari, ac deprecari cōsiliū impietatis, non solū pro te, sed pro tota parte Ecclesia. Sic uiam peccatorum, sic doctrinā pestilētia. Nā hoc igne (charitatis affectu) comburēdi sunt heretici, & quicunq; impie sapiunt ac docent, ut ignem, quia cōtempsumus, tradidit nos deus in reprobū sensum, ut comburēderemur, & hereticos igne naturali cōburemus, rursum cōburemus. Ita dū sonas, Sed in lege dñi uolūtas eius. Nō hic stertas ac tibi secure placet, quasi iam sis legis dei amans, sed quāto potes ardore affectus, suspires ad eum, qui solus uenit ignē mittere in terrā, nec quādiu uiuis, aliter de te sentiat, eo qui nōdum amet legem dei, & uehemēter egeat uolūtatē ista legis.

*Comburendi
Heretici.*

Ita dum omnia prosperari audis iusto, optādum id tibi est, & gemitum omnibus, qui in aduersitatibus quibuscunq; sunt cōstituti, Ita ne solū ut purum dei uerbum reiectis hominum fabulis & somnijs in Ecclesia floreat. Quod si qua talia fieri uideris, gratulandum, gaudendum est, & agēdā benignitati diuinæ. Nec te ad impossibilia cogi existimes, fac peccatū in psalmis agēdū grediendum. & gaudebis ac gratus eris, Scio. Primū, uno psalmo, immo uno uersiculo psalmi exercere, sat p̄fecisti si unum uersiculū per diem uel hebdomadā dicitis affectibus uiuū & spirantem facere, factō hoc initio, omnia sequeuntur. Si n̄ n̄ tibi thesaurus cumulatilimus, intelligentiarū & affectionum, sicut n̄ ne tadio ac desperatione absterrearis inchoare. Nam hoc uere est psalmus, sicut ut scriptura de Dauid dicit p̄cutere manu citharā. Leues enim articuli in uerba rōrdorum, qui per fiducias currunt & eas uellicant, ipsi affectus sunt in uerba psalmorum, cursitantes & eadē mouentes, sine quibus ut cordula nō sonat, ita nec psalmus psallitur, quia non tangitur.

Hęc uolui hoc primo psalmo monere semel, ut non sit necesse per singulos idem repetere. Scio autē futurum, si quis exercitatus in hac re fuerit, plura se inuēturus sit in Psalterio, q̄ oēs omnium cōmētarij tribuere possint. Videri D. Ber. hac arte præstitisse, & omnē suæ eruditionis copiā hinc hausisse. Idem & in B. Aug. & alijs olsieri puto. Quare & nos ex eodem fonte bibere oportet has aquas uitæ, ne nos illa irrissio Prophetæ Amos apprehēdat: Sicut Dauid p̄tauerūt se habere uasā (id est psalteria) cāntici. Et iterum: Aufer a me numerum carminum tuorū, & cāntica lyrae tuæ nō exaudia. Quid enī putas deo uideri, boatus ille aut murmur, quo passim templa occupātur sine mēte & ueritate, quoddā examen muscarū alis suis murmurātium: cui si id addas, ut ueritas deo placere, ludibrium & phāntasma ex deo uiuo & uero feceris.

Psalmus